C. CORNELII
TACITI
OPERA
QVÆ EXSTANT.

IVSTVS LIPSIVS poſtremùm recenſuit.

Additi COMMENTARII *meliores pleniorèſque,*
cum CVRIS SECVNDIS.

Acceſſit ſeorſim C. VELLEIVS PATERCVLVS
cum eiuſdem LIPSI auctioribus NOTIS.

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Ioannem Moretum.
CIƆ. IƆC.
Cum Priuilegijs Cæſareo & Regio.

IMPER. CÆSARI MAXIMILIANO. II. AVG. GERMANICO.

P. P. PIO. FELICI. B. R. N.

IVSTVS LIPSIVS D. N. M. Q. EIVS.

HISTORIAM aptè ſcribere, Imperator, maiorum temporibus non ſolùm magna, ſed etiam rara laus fuit. Vtriuſque cauſſa à difficultate eſt: difficultas ex eo, quòd quæ alijs ſcientijs ferè ſingula proponuntur, ea hiſtoriæ legitimæ vniuerſa. Poëta ſi adpoſitè ad delectationem; orator ad fidem; philoſophus ad vitam dicat: impleſſe munus ſuum videntur. Hiſtoriæ ſcriptor niſi hæc tria ſimul miſceat ac temperet, fruſtrà ſe iactet in ſingulis, neque adlegi aliter inter meliores illos & quaſi patricios hiſtoricos à prudenti Cenſore poteſt. Sed primum de tribus omnis hiſtoria habet, quia animos noſtros nuda narratio, cuicuimodi illa, naturâ delectat: alterum deſideramus non rarò in Græcis: tertium etiam in noſtris. Vt abſtineam iudicare de antiquis illis Fa-

[1]C. CORNELII TACITI AB EXCESSV DIVI AVGVSTI [2]ANNALIVM LIBER PRIMVS.

BREVIARIVM LIBRI.

AVGVSTVS Nolæ mortem obit. Tiberius ſuccedit, tardè & cupidinem diſſimulans. Pannonicas legiones tres grauis ſeditio inceſſit. ea, miſſo Druſo Tib. F. ægrè componitur. Idem in Germaniâ inferiore motus. qui conſêdit, non ſine ſanguine & cæde. Germanicus Cæſar in hoſtem ducit: eâq; expeditione Marſi, Tubantes, Bructeri, Vſipetes vaſtati aut cæſi. Iulia Auguſti F. Rhegij vitam finiit. Sodales in honorem Auguſti, & ludi Auguſtalia inſtituti. Germanicus iterum Rhenum tranſmittit, in Chattos ducit. agros, domos, homines, vaſtat, vrit, cædit. Segeſtes obſidione Arminij liberatur. Ob hæc Imperator conſalutatus. Bellum deinde in Cheruſcos geſtum. reliquiæ Vari & militum lectæ: iiſq; ſuprema ſoluta. Romani in reditu, ſub Cæcinâ duce, periclitati. tamen hoſtes proſperâ eruptione fuſi, fugati. Maieſtatis lex reducta & aſperè exercita. Tiberis inundat. Theatralis tumultus eſt: & per eam cauſſam decreta patrum expreſſa ad coërcendos hiſtriones. Poſtremò actum de ſubducendis Tiberi aquis. eoq; nomine querela ciuitatum Italiæ & legationes. Hæc biennio ferè geſta,

SEX. POMPEIO, ET SEX. APVLEIO COSS.
NERONE CLAVDIO DRVSO CÆSARE, ET C. NORBANO COSS.

VRBEM ROMAM à principio reges habuere. Libertatem, & Conſulatum L. Brutus inſtituit. Dictaturæ ad tempus ſumebantur: [3] neque Decemuiralis poteſtas vltra biennium, neque Tribunorum militum conſulare ius diu valuit. Non Cinnæ, non Sullæ longa dominatio. & Pompeij Craſſiq; potentia, citò in Cæſarem: Lepidi, atque Antonij arma, in Auguſtum ceſsêre. qui cuncta diſcordiis ciuilibus feſſa, [4] nomine Principis ſub imperium accepit. Sed [5] veteris * reip. proſpera vel aduerſa, claris ſcriptoribus memorata ſunt: temporibuſque Auguſti dicendis non defuêre decora ingenia, donec [6] gliſcente adulatione deterrerentur. [7] Tiberij, Caiiq;, & Claudij, ac Neronis res, [8] florentibus ipſis, ob metum falſæ; poſtquam occiderant, recentibus odiis compoſitæ ſunt. Inde conſilium mihi pauca de Auguſto, & extrema tradere: mox Tiberij principatum, & cetera. ſine irâ, & ſtudio, quorum cauſſas procul habeo. Poſtquam Bruto, & Caſſio cæſis, nulla iam publica arma; [9] Pompeius apud Siciliam oppreſſus, [10] exutoq; Lepido, interfecto Antonio, ne Iulianis quidem partibus, niſi Cæſar dux reliquus: poſito Triumuiri nomine, Conſulem ſe ferens, & ad tuendam plebem Tribunicio iure contentum; [11] vbi militem donis, populum annonâ, cunctos dulcedine otij pellexit, inſurgere paulatim, munia Senatus, magiſtratuum, legum in ſe trahere, nullo aduerſante: cùm ferociſſimi per acies, aut

Rei Rom. ſtatus.
Ad Auguſtũ.
Qui primus, princeps dictus.
* Populi Romani.
Materia huius ſcriptionis: A Tiberio ad Galbam.
Artes & via Auguſti ad imperium.